



Dissertatio juridica inauguralis illustres juris quaestiones aliquot continens

<https://hdl.handle.net/1874/340691>

DISPUTATIO JURIDICA
IN AUGURALIS,
Illustres Juris Quæstiones aliquot
continens,

^{Q U A S}
DUCE ET AUSPICE SS. TRIADE
Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN;

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Illustri hac Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii, Dignissimi

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Nobilissimæ
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis.

Solenni Eruditorum Disquisitioni subjicit
THEODORUS PITZE, Buxtehuda-Bremensis.
Ad diem 27. Juny horā locoq[ue] solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo Icc LXXXVI.

D

A D I S C U S T A T I O N I U M I D I C A
H u g o e s J u n i o r Q u a r t o n e s s l i d o n e
C o n t i n e n t e s

FAUTORIBUS E T A M I C I S.

T R A J E C T O R I A L H E N N I M
E X Q U I C E S P A R C E S I H A R M A , A c t u a l i
T R A J E C T O R I A L D E T R A V A I



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

Illustres Juris Quæstiones
aliquot continens.

Q U A E S T . I.



T legibus Academicis vitam debito modo conformem gererem ; mei officii fuit , solenni eruditorum disquisitioni more solito quasdam quæstiones submittere ; Inter quas non minimam habui :

Num *fæmina cum noceræ patre aut vitrici patre & vice versa matrimonium inire possit* ? Quod à nonnullis Juris Doctoribus propter affinitatem plane negatur. A quibus tamen, salva eorum auctoritate , dissentio , & contrarium statuendum esse puto , ob deficientem rationem prohibitio-

A 2 nis,

4 DISPUTATIO JURIDICA

nis, quæ vel ex cognatione, vel ex affinitate fluere debet; Jam manifestum est, tale matrimonium non prohiberi ob cognationem, quia cognatio nulla heic subest, utpote quæ originem ex consanguinitate habet; neque ob affinitatem, propriè enim inter has personas nulla est affinitas, quippe quæ inter mariti & uxoris agnatos nunquam contrahitur; hinc nec gradus affinitatis hic dabuntur: Multo minus vero ob parentelæ respectum, quotiescumque enim nulla consanguinitas adest; toties nullus est parentelæ respectus & per consequens quoque nulla matrimonii prohibitio.

I I.

Priora sponsalia preferenda esse posterioribus, ut ad posteriora concubitus accesserit, affirmamus: Hæc enim sponsalia semel rite celebrata, operantur obligationem ad matrimonium per solennitates ecclesiasticas & insequentem cohabitationem consummandum c. 31. de sponsal. ita ut, quoniam jam adest consensus conjugalis & obligatio Deo iis celebratis quaesita, non amplius sit in potestate contrahentium pro lubitu, mutuo consensu inde recedere. *Mev. p. 5. D. 3.* & qui nihilominus recedunt, carcere vel mulcta pecunioria ad consummandum compelli possint: quoniam itaque in contrahentium potestate ex jam allegatis rationibus non est, mutuo dissensu sponsalia dissolvere; Multonimus de sponsatis liberum erit, facto aliquo improbo, scilicet se cum posteriore conjugendo à prioribus sponsalibus liberare.

rare. Modo tamen primus sponsus vel sponsa, sponsam vel sponsum admittere velit. c. i. c. ult. X. *de sponsa duor.* qui enim injuriam passus, illi liberum est, juri suo ob illatam injuriam renunciare: quod etiam assendum erit, de casu, ubi posteriora benedictione sacerdotali confirmata sunt; ut enim aliis actus contra legem initus, est ipso jure nullus; Ita quoque in sponsalibus similis ratio est, cum benedictio sacratalis in talibus terminis sit illicita ac ipso jure nulla c. 30. & 31. *X. de sponsalibus.*

I I I.

Num hodie potestas feras occupandi recte interdicta sit subditis? Quod affirmatur, feræ enim, ut in privatis fundis vagentur, in nullius sunt dominio, & potestas occupandi ad omnes de populo pertinuit: Jam vero constat, 1. quod ea, quæ olim omnibus expopulo patebant, hodie Principis sint, ob jus populi in Principem translatum §. 6. *Institut. de Jur. Natural. Gent. & Civil.* 2. Quod Reipubl. intersit, ne privati ab agricultura ceterisque negotiis abstrahantur. 3. Ne species ferarum intereant. 4. Quod armorum usus, sine quibus venatio vix fieri potest privatis sit interdictus. tot. tit. C. ut armor. usus inscio Principe &c. 5. Quod præscriptio immemorialis accesserit. Knichen. *de Jur. ferar.* c. 3. num. 222. ut ita sine ullius injuria ob rationes jam allegatas mutato rerum ac Rerumpubl. statu, illa promiscua potestas occupandi à superioribus

A 3

recte

6 DISPUTATIO JURIDICA

recte subditis sit interdicta, & illis, qui populo ac territorio præsunt, propria redditia, ita, ut penes eos sit, quibus eam concedere velint; & nemini alias competit, nisi hoc jus venandi alicui specialiter concessum vel præscriptione immemorabili acquisitum; nec sufficiat, quoties possidenti cum Principe res est, quod quis in possessione hujus juris sit, sed & titulus allegandus. *Brunnem. Cent. 4. Dec. 14.* Hæc tamen interdictio non statim sub pœna capitis fieri debet, inter furtum enim & venationem hoc interest, quod illud rem Domino auferat, ac naturaliter sit illicitum. Venatio vero circa rem naturaliter licitam & nullius Dominio subjectam veretur. Quodsi vero insignis contemtus Principis reiteratione hujus delicti concurrat, tunc omnino ob transgressionem legis ad mortis pœnam deveniri potest. *vid. Bacchov. ad Trentl. vol. 2. D. 20. s. 3. lit. A.* Hoc vero non intelligendum est de animalibus noxiis, quippe quæ cuivis privato capere licet. *L. Vn. C. de Venat. ferar.*

I V.

Notum est jus venandi dividiri in jus venandi majus & minus in *die hoche und Niederjagbt* & hisce à nonnullis addi jus venandi medium *die mitteljagbt*; Quodnam vero jus alicui competit, hoc ex literis investiturarum vel etiam ex usu & exercitio cognoscendum esse: Quæritur itaque 1. quando alicui simpliciter concessa venatio, quænam concessa censeatur? 2. Inferiorem præsumi concessam literæ

literæ enim investiturarum stricte sunt interpretandæ ; Nisi antecessor superiorem quoque exercuerit ; ex usu enim antecessoris literæ investiturarum interdum exprimuntur. Pari modo non continetur superior venatio, quando mentio facta *der Länder mit allen Heerligkeiten*. Brunnem. Cent. 5. D. 61. ab una enim specie & modo venandi ad alium firmiter non concluditur.

2. Quando alicui concessum jus venandi majus , numne Principi pariter competit jus venandi in prædiis Nobilium , *das mitjagen?* Quod à nonnullis affirmatur sed negativam veriorem esse putamus, sicuti enim Dominus feudi non potest concurrere in perceptione utilitatis ex feudo, ita nec in *convenatione*, quæ pars dominii utilis est. Hoc tamen ad venationes præcarias *die Gnadenjagten* & jus convenandi *die Kuppeljagten* à Principe concessum non est extendendum.

V.

Ex §. 39. *Institut. de Rerum Divisione* constat, quod, quando aliquis in loco proprio, data licet opera, inventerit thesaurum, quod tamen absque magicis artibus fieri, DD. volunt, ipsius inventoris sit proprius per cit. §. 61. l. 63. pr. §§. seqq. ff. *de acquir. rerum domin.* Quæritur itaque jam , *num , thesaurus inventorii virgula Mercuriali utenti sit adimendus ?* Usum enim virgulæ Mercurialis ad artes magicas quoque esse referendum, extra dubium est : superstitionem enim sapit , quod præcise die Johannis hora 12. sit præparanda , cum illo

8 DISPUTATIO JURIDICA

illo die singulis annis non eadem sit constellatio. 2. Quod compresse teneri & illa pars ad pectus dirigi debeat, quæ designet aurum; qua de re probabilius est, pactum implicitum cum diabolo, non vero occultam aliquam qualitatem subesse: Unde etiam est, quod non in omnium manibus operationes exerceat: ast, quia in plerisque Principatibus hic modus investigandi receptus est; non adimendus erit inventorii thesaurus virgula Mercuriali utenti; Nisi prius lege generali usus hujus virgulæ prohibetur.

V I.

Ut res usucapi vel præscribi possint, inter requisita Juris Canonici, quod in materiis præscriptionum sequimur, recensetur bona fides & quidem tam ab initio, quam in progressu possessionis: Quæritur jam an etiam in præscriptione longissimi temporis bona fides & ab initio & in progressu requiratur? Et respondetur quod sic per c.5.7. & ult. de Præscript. add. c.1. de Præscript. in 6to. Et ita, ut debitor etiam intra 40. annos de debito non conventus, præscriptionem opponere non posset ob malam fidem, is enim, qui ipse debitum contraxit, ignorantiam allegare non potest. Quod tamen de herede non dicendum est, is enim si post mortem debitoris longissimo tempore non interpelletur, præscriptione tutus erit, quamvis enim, quod defunctus non potuit usucapere, nec heres possit, cum in vitia defuncti succedat; Attamen, quia hoc casu nullius rei possessio

sessio in heredem transfertur, cum qua vitia in heredem transire possent, heredi defuncti succurrendum, si in bona fide constitutus & tam diu non interpellatus: Mala fides defuncti est in herede tantum modo facta, facta vero mala fides non nocet conscientiae & sic à Jure Canonico, ex quo aestimamus hanc præscriptionem, non attenditur.

V I I.

Dicitur in *Pr. Institut.* quibus non est permisum facere testam. quod ii, qui alieno juri subjecti sunt, testamenti faciendi jus non habeant, adeo quidem, ut quamvis parentes eis permiserint, nihilomagis jure testari possint. Quæritur itaque, annon filiusfam. qui in potestate patris est de peculio adventitio, cuius plenam habet proprietatem, mortis causa donare possit? Quod affirmatur, filiusfam. enim utut paganus non solum de adventitio, cuius plenam habet proprietatem liberè; sed & de peculio profectitio & adventitio, patre. permittente donare potest per l. 25. §. 1. ff. de donation mort. caus. Obstat quidem videtur *supr. allegat. Princip. Institut.* quib. non permis. fac. testam. ob verba, quod nec patre consentiente filiusfam. testari possit: sed quia testandi facultas non ob solum præjudicium paternum filio ademtum, sed ob defectum requisiti legalis, quia non est paterfam. quem defectum pater suo consensu supplere nequit. *Berlich. p. 2. Concl. I. n. 14.* De-

B

bet

10 DISPUTATIO JURIDICA

bet vero patris consensus expressus esse per *l. 7. §. 4. ff.*
de Donationib. Nec firmatur ejusmodi donatio absque
 consensu patris facta per clausulam Codicillarem :
 Quando vero semel pater consensum præstítit , irrevoca-
 bilis est. Dn. Brunnem. *ad l. 25. ff. de Donat.*

VIII.

Per traditionem rerum transferri si re acquiri earum do-
 minia traditur in *l. 20. C. de pactis.* Quæritur , num
hoc indistincte de omnibus traditionibus accipien-
dum sit ? Quod negatur , nam quoad traditionem ex
 causa emtionis singulare est , quod per solam traditio-
 nem , dominium non transeat , nisi quoque pretium rei
 emtæ venditori sit solutum vel alio modo ei satisfactum
 vel etiam fidem de pretio expresse habuerit *§. 41. Insti-*
tut. de Rerum Divis. l. 19. ff. de Contradend. Emt.
§ l. 5. §. 18. ff de Tribut. tit. Qua de re sententia non
 nullorum Dd. non est approbanda , quasi fides habita
 censeatur , si ante pretii solutionem traditio fiat ; fidem
 enim habere est facti & in dubio non præsumitur. Gail.
lib. 2. Obs. 17. n. 16. Nisi vel hoc expressum vel termi-
 nus solutioni sit destinatus ; quo vero casu rem vendi-
 tam vindicare non possum , utut pretium non fuerit sub-
 secutum , quia dominium translatum : Quodsi vero quis
 dolose venditorem ad fidem habendam inducat , cum
 jam non amplius esset solvendo , dominium non censem-
 tur translatum , quod id operabitur , ut in tali re vendi-
 ta ,

ta , creditoribus aliis præferatur venditor & à tertio posse fôrse vindicari queat , cum non tam animum emendi & pretium solvendi talis emtor habeat , quam dolose außerendi. Carpz. p. 1. C. 28. Def. 18.

IX.

Certum est , quod omnis generis conditiones possibilis heredis institutioni recte adjiciantur & usque dum existant ; institutio suspendatur §. 9. *Institut. de hered. Instit.* Liberi vero non nisi sub potestatiua conditione institui possint. l. 4. ff. *de hered. instituend.* Quær. an etiam sub potestatiua conditione legitima relinqu possit ? Quod negatur per l. 32. C. *de inofficio testament.* Legitima n. sine gravamine relinquenda, atqui gravamen foret, si prius conditio adimplenda. Sunt quidem nonnulli Dd. qui eam admittunt, si scil. facile impleri posset ; ast talis limitatio non est admittenda utut implementum facile fieri possit , quia filius ante impletam conditionem potest decedere & sic legitimam ad suos heredes non transmittere. *Vid. Dn. Brunnem. ad l. 4. ff. de hered. Instit. n. 3.* Quod etiam in parentibus obtinebit , cum enim & his pariter ex necessitate legis debeat legitima, gravamen abesse debet. Hoc vero certum est , quod ultra legitimam relictum , quod hoc sub quavis conditio ne relinqu possit , quia in mera patris dispositione consistit.

12 DISPUTATIO JURIDICA

X.

Ex Jure Canonico patet, quod nonnullis hominum mortuorum corporibus ecclesiastica S. honesta sepultura denegetur, præprimis vero Judæis, hæreticis &c. *per cap. 23. §. credentes X. de hæret.* quia extra Ecclesiam sunt. Quæritur itaque, *quinam propriæ hæretici dicendi sint?* Et Resp. qui publice in concilio damnati: Pontificii quidem omnes eos volunt esse hæreticos, qui non sunt consortes Ecclesiæ Romano-Catholicæ & eo modo quoque hoc ad Augustan. Confession. Consortes, inter quos m. habentur Reformati, extendere: Verum, quoniam non publice in Concilio sunt damnati, & eadem ipsis securitas promittitur, quamquæ Romano-Pontificiis in art. 4. Capitulat Cæsar: Leopold in fine & æque tolerari & nullo modo despiciatur haberi jubentur in instrument Pac. Osnabrug. Articul. 7. *in fin. Princ.* hæretici non possunt vocari; & sicuti A. C. Consortes Romano-Catholicos, ita quoque Romano-Catholici Augustan. Confession: Consortes tolerare debent: hi enim si idem pendant pro jure sepulturæ, iisdem ceremoniis eodemque honore debent terræ mandari juxta §. 35. art. 5. *Instrument. Pac. Osnabrug. vid. Magnifi. Dn. Rhetius in Jur. Publ. l. 2. tit. 1. §. 31.* Dn. de Jena de Ratione Status Disputat. 22. Concl. 6. Qua de re merito ab ejusmodi inconsideratis loquendi formulis abstinemus, & eos hæreticos appellamus, qui per dictas leges publicas non possunt tolerari, eisque denegamus honestam sepulturam:

ram: ita tu. Ut etiam (quamvis Pontificii nonnulli id admittere nolint) extra Civitatem vel in loco aliquo à cœmiterio publico separato terræ mandentur. *arg. l. 9. C. de hæret.*

X I.

Quod olim, uti adhuc hodie in nonnullis locis hoc in usu est, debitor, qui non erat solvendo, in carcerem trahi potuerit, tam ex Jure Civili: quam Canonico satis notum est: Quod quia admodum durum & inhumanius videbatur, permisum deinde est debitori, bonis cedere: Quo illud consequitur ut carceres evitet *l. 1. C. de Cession. bonor.* & in plus conveniri non possit, quam quatenus facere potest i. e. si sine culpa debitor lapsus est bonis, non pote plus ab eo exterqueri, quam in bonis habet. Quæritur itaque *an etiam hoc in Clerico qui solvendo non est, locum habeat?* Quod veteres plerique volunt, scilicet ad prædictum effectum teneri etiam Clericum cedere bonis: Alii vero volunt, Clericum propter debitum Civile non indigere hoc cessionis beneficio & nihilominus gaudere beneficio, competentiæ neque trahi posse in carcerem, exemplo militis. *l. 6. & l. 18. ff. de Re judicata.* Aut hoc non affirmandum, concedendum quidem est, Clericum ob debitum incarcерari non posse, non tñ. sequitur, quod bonis cedere non teneatur: Aut enim pati tenetur, ut per executionem ipsi auferantur bona, aut ipse tenetur cedere. *arg. Cap. Oduardus 3X de solutionibus:* Unde & concursus creditorum coram judice Ecclesiastico, quoad bona

bona Clerici formari potest. vid. *Franciscus Salgado de Zomaza in Labyrintho creditorum. p. I. c. 2. n. 48.* communiter tñ. Canonistæ asserunt, Clericum gaudere beneficio competentiæ, eo quod miles Christi sit, & sic, sicuti Cæsares militibus suis hoc jus tribuerunt ita etiam Pontifices id militibus Christi concessum esse voluerunt. Et inde hodie Dd. beneficium competentiæ concedunt omnibus iis, quibus privilegia Clericorum tributa sunt: Quando vero alias largiores sunt, ut ratione Nobilium non militum & ratione aliarum personarum, imo m. viduarum, ratio extensionis deficit, quoniam Dd. jus singulare ad consequentias trahière non possunt. Ipsum vero beneficium competentiæ hoc innuit saltem, ut quis non possit ultra ad solutionem adigi, quam pro conditione sua necessario insumere habet, non ut laute, non ut opipare vivat.

Jam coronidis loco penes quemvis quæro animum benevolum: Exhibe itaque, Lector benevole, benevolentiam ei, qui eam ex corde desiderat, nec ex ornatu & elegantia, sed ex voluntate hasce theses pondera, mecumque cogita

*Non omnia omnibus, non omnes
Non omnia, nec omnes mibi
Placent: & quinam ego omnibus?
Paucis bonis: uni Deo
Curo placere. Est sat. Vale.*

F I N I S.



